



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Modi LX Sacrae Orationis variè Formandæ

Kojałowicz, Kazimierz Wijuk

Antverpiae, 1668

Modus XLVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69292](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69292)



MODUS XLVI.

PLures definitiones, propositionem conflant: aut etiam plura membra definitionis descriptivæ: singulæ autem partes aut membra, seorsim probantur: aut ad unum finem omnes probationes referendo, aut doctrinas varias singulis annectendo, quemadmodum dictum habetur de causis, modo XL. & XLI. vide etiam exemplum definitionis descriptivæ, artificio revocandi totum Evangelium ad unam propositionem conjunctum, modo 22. Sit nihilominus

P R A X I S.

Dominica II. Quadragesimæ.

Assumpsit Jesus Petrum, & Joannem, & Jacobum fratres ejus. Matt. 17.

Accessus & propositio. Habet Christus quos familiariter assumat in suos, habet & Dæmon, habent & homines. Nam, si quis calum ascendisset, naturamq; mundi & pulchritudinem respexisset, insuavem illam admirationem ei futuram, nisi aliquem haberet, cui communicaret; dicebat ex sensu communi, & vero, Architas. Sed hem nos! quam sæpe fallimur, & per familiares, quos vitæ solatio assumimus, gravissimè affligimur. Magno delectu opus est, ne in latentissimam scyllam impingas, & tamen minimè id curatur. *Fide, sed cui, vide:* ait vetus ver-

Q 3

bum

bum; ama bonos, cave malos. Hi enim sunt, qui amicitia fructum corrumpunt, qui spes nostras maximè fallunt, qui totius vitæ jura perturbant, vultis brevibus quid sint socii mali nosse? dicam sane esse diaboli præcipuos cooperatores, animorum sævissimos homicidas, Christi gravissimos inimicos; atque utinam, quam ego id indubitanter asseveravero, vos credatis

Confirmatio, ex singulis definitionibus sensim probatis.

Sunt igitur mali socii, Diaboli præcipui cooperatores. Quidni? idem opus utrinque agitur, eadem pernicies struitur. Trahimur in vitia à Dæmone, suggestionibus, à sociis; suggestionibus & exemplis. Heu quam multi dicere possunt, quod humiliter de se Aug. lib. Confes. 3. *Præceps ibam tanta cecitate, & inter coetaneos meos puderet me minoris dedecoris, cum audiebam eos, jactantes flagitia sua, & tanto gloriantes magis, quanto magis turpes essent; & libebat malum facere, non tantum libidine facti, sed etiam laudis. O nimis inimica amicitia! & seductio mentis investigabilis, cum dicitur. Eamus, faciamus, & pudet non esse impudentem, fuventor scilicet ille, auctorque peccati ait Leo Ser. 4. de collec. primum superbus ut caderet, deinde invidius ut noceret: quia in veritate non stetit, totam vitam suam in mendacio collocavit; omniaq; deceptionum genera de hoc venenatissimo fonte produxit: ut ab illo bono, quod ille propria elatione perdidit, spem humana devotionis excluderet. Vide Dæmonis & malorum*

socio-

fociorum lusus. Lapsus ille primum, alios in ruinam trahit: isti quoque cum à virtute defecere, alios ad vitia pertrahere nituntur. In mendaciis, dæmon totam suam vitam collocavit: isti etiam, mentiuntur affectus, mentiuntur desideria, mentiuntur vota, mentiuntur successus, & *quia sciunt*, pergit eo sensu D. Pontifex de dæmone, *non solum verbis sed etiam factis Deum negari, multis quibus auferre non possunt fidem, auferunt charitatem.* Res est omnibus lacrymis ploranda. A multis id ipsum concessum esse amicis, & sociis; quod negarant diu suggestori. Scilicet à Dæmone animus; ab amicis, vultus, oculi, aures, & animus feriuntur; quæ prælia non numero tantum. sed & robore sunt valentiora. Recogita exempla, in quibus Dæmon forma hominum, ad effingendam virtutem multorum, non sine effectu est usus; ego illud revocaverim, quod multis palam est; cum, diu discordias inter Maritum & uxorem concitare non valentem, fæminæ deinde illis familiaris opera, ad id consequendum usum. Hæc dum pro recepta amicitia, huic, atque alteri varia eaque contraria narrat, intra triduum gravissimorum tumultuum infelix extitit causa. Tulit illa quidem sceleris præmium, cum à Dæmone audivit, se tot annis laborantem præstare non potuisse, quod illa triduo præstiterit, ideoque inferno se digniorem, ad quem mox rapta fuit: sed & vitandorum malorum sociorum, grande reliquit exemplū, cū probavit. Sepe crimina facilius ab amicis putatis, quā ab ipso Dæmone persuaderi. O germana diaboli instrumenta malos socios!

O primarios ejus, suggestionum cooperatores, felix qui omni arte fugit, vitandos plusquam Dæmones; nam qui non vitavit, & vitia illorum non est secutus, Martyr erit mihi invictus, cui illud Christus adscribet. *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, Matth. 10.* Non est dictum, coram tortoribus, carnificibus, Tyrannis, sed coram hominibus, ut notaretur confiteri Christum inter homines, inter socios, familiares, præsertim malos, martyrio par factum esse. At nostra damna propinquius inspiciamus, quod scilicet, socii mali, sint *seuissimi animorum homicida*. Hanc nobilissimam portionem hominis illi petunt, non latus, non caput, non denique aliquam partem pretiosissimam corporis. Quid ita? cum peccatum suadent ac persuadent, mortem animæ inferunt, *Quod est enim anima corpori, hoc est Deus anima, ait Aug.* Quemadmodum igitur separata anima à corpore, sequitur mors corporis; ita separato Deo ab anima sequitur mors animæ: atque ideo, quemadmodum si corpus mortui, moveri incipiat, si manum surrigere, si surgere, si proloqui prodigium supra naturam est: ita si peccator adhuc spirare, respirare, suspirare, & actionibus animi præfungi possit, ingens beneficentiæ Divinæ miraculum est; quo non intercedente, quodvis letale peccatum eam infert mortem, à qua amplius homini Deo vivere non liceat, æternumque sepeliri debet, in inferno: *Ego sum, Joan. 11. inquit Salvator resurrectionis & vitæ.* Id, ne ad corporum solum suscitationem referas, sed animorum mortem cogites,

audi

audi Origen. Tit. 28. in Joan. peccatores ad Lazarum mortuum referentem. *Necesse est aliquos, etiam num Lazaros esse, qui post contractam cum Deo amicitiam infirmati sunt, & periêre.* Orat. Psaltes enixe Psal. 26. v. 9. *Adjutor meus esto, ne derelinquas me* Euseb. & Theod. legunt. *Ne me ad corvos projicias.* Qui sunt qui projiciuntur ad corvos? corvorum pastus cadavera sunt. Quæ verò obsecro cadavera? quibus ne immisceatur rogat vates. En ipsum interpretem sui. *Adjutor meus esto, ne derelinquas me.* Idem ergo est à Deo dividi, & mori, peccare & fieri cadaver, ac tradi corvis, sed quibus corvis? mali corvi, mali socii, mali amici, sævissimi, homicidæ, qui nostris mortibus, nostris cadaveribus gaudent, ac aluntur. De his D. Aug. tom. 9. in Joan. *Non omnis qui dicit pax vobis, quasi columba, audiendus est, unde ergo discernuntur, oscula corvorum, ab osculis columbarum? osculantur corvi sed laniant, à laniatu innocens est natura columbarum. Vbi ergo laniatus, non est vera in osculis pax, En oscula falsa, en corvos, en malas mortes, en cadavera quibus hi homicidæ gaudent: neque Christum, væ sæpius talibus intentantem ac præsertim Luc. 17. obaudiunt. Ita que concludit ibi Salvator. *Vtilius est illi, si lapis molaris imponatur circa collum ejus, & projiciatur in mare, quàm ut scandalizet unum de pusillis istis, quod si adhuc non fit, fiet certè sed in pejus.* Scitum est, quod molæ Deorum, serò molant sed bene comminuant. Hæ molæ, conduntur hætenus, dum veniat tempus, quo, appensæ collo irripiorum, projiciuntur in profundum, quemadmo-*

dum projectus est lapis in mare. Apo. 17. v. 21. Sunt denique socii mali, Christi gravissimi inimici. Quia Christum carissima gratissimaque possessione animarum spoliant: easque seductas Dæmoni vendicant. Prò nefandum scelus, & nullis verbis satis explicandum. Quis non execretur nefas, quo mancipium aliquod vilissimum, improbum, furens, vesanum, excluso proprio Regni hærede in throno collocetur? hoc scelus agunt, imo hoc scelus vincunt, qui per verba aut exempla animis sociorum, Deo excluso eas Dæmoni per peccatum mancipant. Horret animus, referre impietatem comperitam hominis, qui cum ad sanctissimæ Eucharistiæ usum accederet, ut nondum consumptis speciebus, Christum corporaliter præsentem, adesse crederet. *Adsis, a jebat, diabole, cedo tibi animam. Abeat Christus, excludatur, exturbetur.* O fulmina ubi tunc delitescbatis? aut ubi delitescitis, cum simili injuria, per malos socios, Regno suo & sedibus suis exturbatur, de quo sic apud D. Brigit. lib. 1. Revel. c. 1. *Christus, ex toto oblitus, & ejectus sum, & contemptus, & tanquam Rex à proprio Regno expulsus, in cujus loco, Latro pessimus, electus est & honoratus.* O grandem injuriam! O audaciam hostis Christi! Neque hic sistunt illorum inimicitia. Grandius est quod sequitur. Quia privant Christum fructu gravissimorum laborum, & vitæ ejus; evacuantque ac annihilant passionem ejus, dum faciunt ut vita & passio Christi, nullum effectum sortiatur in animabus, malorum sociorum consortio seductis. Hoc revera magis cogitari & deplorari

rari, quam exaggerari potest. Cum Quinctius Var-
 rus, in Germania profligatus fuisset Dio lib. 19.
 is dolor Imperatorem Augustum invasit, ut sæpius,
 id unum inclamaret. *Quincti Varre, redde legiones.*
 Ah! quod fulmen impios feriet, cum iudex supre-
 mus idemque animarum humanarum, unicus, ut
 amator, ita servator; super scandala intonuerit. Im-
 purissime Mæche, Licentiosissime juvenis, Auda-
 cissime familiaris, redde animas utique vita mea,
 laboribus, sanguine partas: tuo autem scelere,
 blanditiis consiliis, exemplis ereptas. Sanguis
 meus super te, hoc makes, hoc cruentaris, hunc in
 salutem eorum effusum, in te, per injurias meas, &
 ingentia damna convertisti. *Quid niteris bonam
 ostendere viam tuam? Jerem. 2. ad querendam di-
 lectionem. In alis tuis, inventus est sanguis pauperum,
 & innocentum: non in fossis inveni eos. Quærit piis-
 sime D. Hipp. Episc. Confes. 9. c. 13. Quis refundet
 ei sanguinem, quis ei restituet pretium, quo nos emit?
 ut ei nos adferat! Nemo equidem, nemo talis esse
 potest: sunt tamen multi, qui id minime cogitent,
 jura Christi invadant, animas perdant, sanguinis-
 que pretiosissimi pretium auferant. Hos iterum
 moneo, ut quid responsuri sint Christo iudici, se-
 rio cogitent, quemadmodum & nos, ut ab illo-
 rum consortio fugiamus remotissime,
 cogitare semper, par
 est.*

MO-